

Fac muri effigiem, sic septa virentia crescunt.
 Quattuor, aut plures adeò Quadrangulus Hortus
 Diditur in partes, quarum Fruticeta viarum
 Castigata tamen belle discrimina signant.
 Hic Rubus, atque uva crispa, Ribesq; nitescunt,
 Et baccis Fundum diversicoloribus ornant,
 Et rosa permulti generis, variiq; coloris.
 Sed Laterum ambages, nimiasquè in Vertice cristas
 Latius ut serpunt, ad amusim aquare laborant.
 Tum Cerasi pumili, maliq; & persica nana
 Principia, Anfractusq; obeunt, finesq; viarum.
 Intus odoriferis circumdatur Area Thymbris
 Salvià & Hissopo, Rutà, Libanotide, Nardo.
 Hic Fimus ante alias, & Humum rorantia Fontis
 Ubera conquirenda tibi, vel stagna palustri
 Humida congerie, pluviosis vel conflua nimbis;
 Commodius cunctos Olicit quibus irriget Hortos.
 Hic Lactuca tenet primas, mensasquè coronans
 Condensante globo, varioquè plicatilis Orbe
 Vel patinam caput unum implet; sed distat ab illis
 Proxima luxuriae strictim cui Vimina cursum
 Sic cohibent, sese ut glomeret, foliumquè recingat.
 Intibus & tardis seposta Cichoria mensis.
 Non minus in pretio est, varias mixtuar per Herbas,
 Ut Nasturtia, Gingidion, Borrago, Sinapi,
 Centaurea potens, lachrymansque Eruca salaci
 Quæ Sacra est Paphia, & raphani non improba radix,
 Quæ molli gaudet terrâ, graveolenta Cepe
 Et graviore etiam, mordacique Allia odore
 Et Porri assiduâ revirentia gramina Messe.
 Dulcius Asparagi genus est, quibus annua nunquam
 Debetur satio, semel à tellure recepti
 Et culti, ut fas est, reddunt sua dona quotannis.
 Petroselinum itidem nullo non tempore prodest
 Fercula, qua ingreditur, nostro condire Palato.
 Pimpinella etiam, Citrioquè Melissa sapore

Chere-